



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

X. Beatam Mariam dicit omnis universim creata natura. Quia propter illam
facta & reffecta est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

obsequio sus reddidit indemnem. Jam de lapide ibidem refert ex libello *Fr. Ludovici de Conceptione Trinitatij Discalciati* num. 116. *Nierembegius* in quo miraculum summo Pontifici describit tale. In oppido de Valdepeñas (en la Mancha) in domo Clerici Salazar è nubibus decidit lapis cum magno splendore, qui splendor etiam aliquot diebus subsequenter duravit. In lapide ex una parte fuit insculptum *Ave Maria Virginij madre de*, in altera sensus continuabatur: *Dios concebida sin peccado originali*. In Septa Africa civitate, scribit *Joan. Nider* capillos reperiri in quorum aliquibus legitur *Ave*, in alijs *Maria*, in alijs *gratiâ plena*, & sic deinceps in alijs.

10. Beatam Mariam dicit omnis universim creata natura.
Quia propter illam facta & resecta est.

Bernard. id ferm. 2. de Pentecost: mellifluè. Ad Mariam, sicut ad Medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum Causam, sicut ad Negotium sæculorum, respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis: illi qui sunt in cœlo, ut refarciantur, & qui in inferno ut eripiantur, qui præcesserunt, ut Prophetæ fideles inveniantur, qui sequuntur ut glorificentur. *Benè eruditus Rutilius Benzonius Episcopus Lavetanus lib. 6. de anno jubilei cap. 22.* Beata Virgo Cœli universalissima est, ad quam omnia creata sive naturalia, sive supernaturalia referuntur: nec gratiæ cujuscunque ordinis etiam gratis datæ cuicunque conceduntur, nisi per Mariam. Tu etiam ô Virgo (*sic S. Joseph Confess.*) 11. *Feb. ut.* cœlestium, atque terrestrium Emundatio longè mundissima extitisti: per partum enim tuum primigeniâ planè munditiâ mundum emundas, unaque Angelorum benè ordinatam munditiem, in tua persona longè mundior emittis, ô mundi totius Servatrix! *Idiota contempt. de B. Virg. cap. 4.* Te Virgo Deus dedit Angelis in Initiationem: hominibus, & nostræ naturæ in Reparationem, inferiori creaturæ in liberationem: tibi in Matrem, dæmonibus in hostem, detentis in limbo Eruptionem. *Bernardin. tom. 1. conc. 61. art. 1. cap. 6.* Tot creaturæ serviunt gloriose Virgini Mariæ, quot serviunt Trinitati, sive spirituales ut Angeli, sive rationales ut homines, sive corporales ut cœli, & elementa: omnia hæc sunt Divino imperio subjugata, & gloriose Virgini subiecta, imò & ille qui Filius Dei est, Virgini benedictæ Matri famulabatur. *Richard. à S. Laur. lib. 8.* Maria Centrum mundi, quia ex omni parte mundi omnes habent ad eam recurrere in omnibus suis necessitatibus, sicut omnes lineæ circumferentiæ recurrunt ad centrum. Ubi *Vulgata usque legitur.*

legit *Proph.* 8. Fundatur exultatione universæ terræ. *Cajet. legit:* Pulchra Sponsa lætificans totam terram. *Hugo Card. super Magnific.* Ad illam respiciunt, & qui habitant in inferno, id est purgatorio, & qui habitant in mundo, primi ut resarciuntur, secundi ut eripiantur, tertij ut reconcilientur.

Quomodo omnes Prophetæ & miracula veteris legis & figuræ, & vitæ, eam respexerunt, brevis colligit *Joan. Geometra.* Illa te omnia præfigurârunt, atque omnes hisce te nominibus compellant: Mare divisum, atque iterum confluens, Portam perviam simul & clausam, Fornacem irroratam simul & accensam, Rubum ardentem, sed non combustum, Nubem in die simul & recti itineris nuntiam, Columnam ignis, non creatum tantum, ut arbitror ignem circumferentem, verum etiam Divinum novumque populum contra spiritualement Pharaonem munientem, Petram melle, id est, verbo fluentem, Virgam, flores, id est suavem odorem, ac gloriam gentis proferentem, Terram semper sui similem, quæ & plena reperita sit Divinis alimentis, & manna panem incultum proferat, & arationis experta existat, Arcam nunquam quiescentem, Hortum refugij, Facem inextinctam, Templum inaccessum, Montem insecabilem, densum virtutibus & umbrosus, Tabulam à Deo conscriptam, Urnam Deum continentem, Mensam in qua est Panis vitæ, Thalamum in quo Potentissimus quievit, Scalam per quam descendit quidem Deus, sed ascendit homo, quæ à terra quidem incipit, sed ad cælum pertingit. Tanta de te ô Virgo imò plura adhuc miracula, vel potius figuræ miraculorum. *Isid. orat. de Annunt.* Propter Mariam initio creatus est homo, & extensum cælum, & terra, & quidquid productum est, propter hominem. *Et orat. de Assumpt.* Propter te Dominus, ô Purissima, cælum produxit, terram fundavit. *S. Antoninus p. 4. tit. 15. cap. 44. parag. 2.* Ipsa sola omnes inferiores reduxit tanquam Mediatrix reconciliationis, & Adjutrix redemptionis, & Angelorum numerum restauravit, & subvenit ruinæ ante conspectum Domini, ut dicitur in figura de S. Judith *cap. 13.* & hominem lapsum revocavit ad superos. *S. Bonav. in spec. Virg. cap. 7.* O Fœmina plena & superplena gratiâ. Ait *Anselmus.* Solum loquor Domina, tuis beneficijs plenum esse mundum, inferna penetrârunt, cœlos superârunt: per plenitudinem enim gratiæ tuæ, quæ in inferno erant se latantur liberata, & quæ supra mundum sunt, se gaudent restaurata. *Albert Mag. in Biblia Mar. ex Joanne.* Beatissima Domina secundum Evangelium Joannis dicitur Mater restitutionis omnium. *Joan. 1.* dicitur de ejus Filio: Omnia per ipsum facta sunt. Sic dicitur de ipsâ: Omnia per ipsam facta sunt, ut dicit *Anselmus. Idem lib. de excell. Virg.* Merito in te Virgo respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per

per te, & de te, benigna manus omnipotentis quicquid creaverat, recreavit. *B. Damian. serm. de Annunt.* De thesauro Divinitatis Mariæ nomen evolvitur, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa, totum esse faciendum decernitur. *Richard. à s. Laur. lib. 4. de excell. Virg.* Maria conspicua est bonitate, diferta sapientiâ, tremenda cunctis viventibus potestate, genere illustris, formâ desiderabilis, immensitate incomprehensibilis, æternitate indeficiens, cujus imperium attingit à mari usque ad mare, quæ etiam ex dono Filij sui attingit à fine, usque ad finem fortiter, & omnia cum eo disponit suaviter. *s. Andr. Cret. Orat. de Assumpt.* Sola præter naturam, ad naturam renovandam eligitur, sola servit Opifici universæ naturæ. *Laur. Justin. de casto connubio.* Maria est Renovatio eorum, quæ erant inveterata. *Jdiota cap. 4.* Deus ad hoc te fecit Virgo, ut quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur. *Sophron. epist. de Assumpt.* Instaurantur à Virgine omnia, quæ venerantur, & adorant super se Christum Regem Dominum natum ex eadem Virgine.

Bernardin. tom. 2. serm. 48. Vide quantæ potestatis desiderium fuerat apud Deum, quia quicquid per plurima fiat, (*ita hic Sanctus loquitur.*) à Domino factum est ipso dicente Genes. 1. *Fiat lux &c.* nunc in B. Virg. unico verbo fiat, reditur reformatum. *Jdiota lib. de Virg. M. cap. 1.* Ædificavit Deus te ô Maria Angelis Reginam, hominibus Medicinam, creaturæ inferiori Libertatem. *S. Germ. orat. de Nativit. Virg.* ita nascentem salutat. Salve legis, atque gratiæ Mediatrix, veteris & novi testamenti Sigillum, totius Prophetiæ clarissimum Supplementum; Summa Divinitus inspiratæ Veritas scripturæ, Summa Divinorum arcanorum. Ingredere huc Plenitudo mæ Prophetiæ. (*loquitur ibid. S. zacharias*) huc ades Perfectio Divinarum ordinationum, huc ades Signaculum testamenti ipsius, huc ades Fons ipsius consiliorum, huc ades Declaratio ipsius sacramentorum; huc ades Speculum omnium Prophetarum, huc ades Collectrix malè consonantium, huc ades Conjunctrix jam olim disjunctorum, huc ades Renovatio rerum antiquarum. *S. Antonin. summe tit. 15. c. 14. parag. 14. pag. 4.* Sicut B. Maria Mater est Christi, in & invocationis, & creaturarum innovatarum Mater merito dici potest. Prioritate etiam dicitur Mater, prioritate scilicet prædestinationis: ipsa enim ante sæcula prædestinata est, ut esset Principium ex quo recreandum esset omne creatum. Et sic de ea dicitur Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum;* id est in principio operum suorum, ut sit prima omnium creaturarum suarum, quæ pure creaturæ sunt. Et v. 30. *Cum eo eram cuncta componens,* scilicet recreando, quæ per culpam quasi destructa erant. *B. Petrus Damian. serm. 11. de Annunt.* Evocatur

statim

statim ille cœlestis conventus, & juxta prophetam *Isai. 16. v. 3.* inquit Deus consilium, cogit concilium, facit sermonem cum Angelis de restauratione eorum, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac illis stupentibus & mirantibus præ gaudio de modo redemptionis, & statim de thesauro Virginitatis Mariæ nomen evoluitur, & per ipsam, & in ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil est factum, ita sine illa nihil relictum sit. *Anselmus alleg. cœl. 27.* Hæc est inquit Fœmina mirabiliter singularis, & singulariter mirabilis, per quam elementa renovantur, inferna remediuntur, homines salvantur, Angeli rediintegrantur, fœmina plena & superplena gratiâ, de cujus plenitudinis exundantia resperfa revirescit omnis creatura. *Laur. Iustinian. Patr. Venetus in Anonym. B. V. Maria effecta est Mater Dei, paradisi Scala, cœli Janua, Interventrix mundi, dæmonum Fuga, peccatorum Spes, naufragorum Portus, Maris Stella, Confugium periclitantium, Solamen laborantium, fluctuantium Robur, Dei & hominum verissima Mediatrix.*

xi. Beatam dicunt Mariam ipsi damnati;
quia est illorum Refrigerium.

Receptum est apud Theologos quod *S. Thom. 1. p. q. 71. artic. 4. ad 1.* docet etiam in damnatione reproborum intermicare misericordiam Dei, undè cum reprobi infra condignum puniantur asserit *Rutilius Benzonius Episcopus Lauvetanus in Psal. 86. cap. 32.* hoc sæpè fieri ob preces B. Virginis. Quantitas pœnæ damnatorum ex Dei misericordia, & ex intercessionibus Beatæ Mariæ Virginis citra condignum taxatur. De die Assumptionis *Sanctus Odilo Abbas Cluniacensis* habet sequentia. Dicam aliquid plûs si audeo, dicam fideli præsumptione, dicam piâ temeritate: Totus mundus hodie condignâ jubilatione lætatur, & gaudet, tartarus tantummodò ululat, fremit, & submurmurat, quoniam gaudium, & lætitia hujus dæi claustris infernalibus inclusis aliquod remedium & refrigerium præstat: non audent ut opinor ministri tartarei hodiè suos attingere captivos, quos recolunt redemptos illius sanguine, qui pro mundi salute dignatus est nasci de Virgine, & in hoc gratiam facit damnandis, nè dum vivant, diutiùs vivant, & peccata cumulent acriùs vindicanda in inferno. *S. Brigitta revel. extravag. cap. 89.* Illis qui non obtinent pœnitentiam abbreviabit gladius meus: (*cit Virgo*) aliquam pœnam corporalem ante mortem nè diabolus plenam potestatem habeat supra corpus, dum in mundo vixerit, sicut habet potestatem in inferno. *Et paulo post.* Vellet

E e 2

diabolus